



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Antonius de S. Roman. n. 13

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

cinora celebrare musicum sit exorientis fidei Instrumentum componere, du&tricem nauem, quæ tumentis Orbis fluctus calcans, bellicum Christianæ Religionis apparatus, & annonam comportat: fateor sane non modo iucundum hunc meum laborem, sed gloriosum reputasse. *Hæc sunt amoris iacula, quæ tantus vir è cordis pharetra deprompsit, & fideliter latinè reddita. Quo nescio num elegantius dari de Ignatio Parente, Socijs, ac Societate testimonium possit.*

Et Navis Christianæ religionis bellicum apparatus comportans.

12. A ROMANO HAY. *In libro, quem inscripsit Astrum extinctum quest. 8. fol. mihi 549. num. 9. dum quemdam è Societate impugnaret, hæc habet.* Interim vero errores illius, aut similitium, Societati IESV nullo modo adscribimus, id enim stultissimum foret: quippe quam scimus sapientioribus, & sanctioribus Institutis deditam, & occupatam esse: imò cuiusque alterius iuribus conseruandis lingua, & calamo operam dare. Quid enim aliud sonant, tot in lucem à doctissimis Theologis Societatis edita volumina? tot Tractatus de de iure, & iustitia? tot è Summi Pontificis, de Romanorum Imperatorum, aliorumque Principum, ac Præsulum auctoritate, & potestate vulgata Opera, quam ut cuique suum tribuatur, ut errores ac vitia eliminentur, Christiana charitas, & virtutes mortalium animis inferantur, & conseruentur? *Hæc ille.*

Sapientioribus, & sanctioribus Institutis dedita.

Quanta eius in scribendo doctrina?

13. * AB ANTONIO DE S. ROMAN. *in Hist. Gener. India Orientalis lib. 3. cap. 26. fol. mihi 575. Qui cum Ioannis Tertij Lusitania Regis ardentem erga Orientis India conuersionem animum proposuisset, hæc habet.* Non tamen Regi suppetebant idonei ad tantam prouinciam ministri: Deus vero qui semper huiusmodi votis annuit, opportunum prouidit remedium. Tunc enim temporis dum Ecclesiæ castra firmioribus indigebant subsidijs, Ignatius Loyolæus vexillum contra mundi Principem erexit, cuius celebris memoria, & in cælo uiuit, & in terris contra temporis iniurias præualet. Iam sanctissimum illud Societatis IESV Institutum (quod ipse ordinarat) supra

Ignatius laudatur.

Et Societatis Institutum.

validam Ecclesiæ rupem, excelsam, & corroboratum erat. Degebat illa tempestate Sanctus Parens Romæ, cum aliquot è primis Socijs Christi Vicario veluti suorum votorum clauigero subiectis, & licet aliquibus tempestatibus iactati fuerunt, vt quidquid in Orbe boni viget, solet experiri. At demum cum Dei opera, & consilia semper præualeant, per Europam Vniuersam celebris eorum fama adeo intonuit, vt inter alios ad Ioannis pientissimi Portugaliæ Regis aures perueniret, qui illico ad D. Petrum Mascareñas in Romana Curia Nuncij munere obeuntem, literas dedit, quibus impense monebat exigeret à Parente Ignatio ex Socijs sex, qui adeo ardentem Dei honorem, & animarum salutem exquirerent, vt in Africa, & Asia operibus æquarent famam, quæ de ipsis vulgabatur. Rem cum Ignatio exegit legatus, & licet ab illo sex, quos expetebat Socios non fuisset consecutus (aiebat enim Ignatius si ex tam paucis Socijs in Indiam sex deferrentur, quid Vniuerso terrarum Orbi restaturum) duos tamen Xauerium scilicet, & Simonem Rodericum Lusitanum concessit. *Hæc ille ex Hispano fideliter latine reddita.*

Cuius fama per Europam vniuersam intonat.

A B A S I L I A N I S.

14. **A**B. IOSAPHAT ex tanto Ordine viro præclarissimo, vniuersisque cum Sancta Romana Ecclesia promotore indefesso, & pro ea trucidato anno 1623. & ab Urbano VIII. in Beatorum Martyrum Catalogo adscripto anno 1642. Is tanti faciebat Societatem, vt palam diceret, Se eum non habere pro bono Catholico, qui Societatem IESV non amaret. Idem etiam cum semel in frequenti nobilium confesso, præcipue nobilitatis virum acerbius ad mensam contra Societatis homines inuehi audiret, grauiter iniuria Societatis commotus Apparet, inquit, magnifice Domine, Te non esse ex numero Prædestinatorum, qui tam sanctam Religionem verbis adeo iniuriosis carpere non metuas. *Grande sanè*

Qui Societatem non amat bonus Catholicus non est. Nec è numero Prædestinatorum qui eam carpit.